



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 35. Rei extremo supplicio Mediolani affecti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

petum suum exonerabat. Is erat quidam nomine Farina, qui post patratum scelus ad Sabaudix Ducis ditiones confugerat, ibidemque tanquam gregarius miles stipendia merebatur: ibi cum rerum Mediolani interim gestarum ignarus esset, nequidem de fuga cogitabat: unde missis quantocius, qui eum comprehenderent, brevi Mediolanum abductus est.

§. XXXV.

*Rei extremo supplicio Mediolani affecti.*

Hac inquisitione Sanctus Cardinalis graviter commotus, ac reorum sortem miseratus Romam ad Ormanettum perscripsit, eumque rogavit, quatenus Papam eo induceret, ut clementia usuris vitæ veniam concederet: verum nullis precibus, nullisque rationibus unquam flecti poterat Pontifex: unde juxta Sacrorum Canonum præcepta tres ex hisce miseris sacro gradu dejecti, & die vigesima octava Julii Anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo laqueo necati sunt, quartus vero nomine Hieronymus Lignanum Vercellensis Præpositus, & alius quidam cum genere nobiles essent, capite plectebantur, sextus vero, ac postremus non nisi ad triremes perpetuo damnabatur; verum Sanctus Præsul tam validis precibus apud summum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1570.

Giuss. l. c.

Nn 3

Pon-



Sæcul. XVI. Pontificem instabat, ut hæc pœna, in  
A.C. 1571. custodiam, qua intra quoddam clau-  
 strum includeretur, immutaretur, ac  
 sic hic reus pœnitendi spatium obtine-  
 ret. Fertur, quod Farina luculenta pœ-  
 nitentiæ signa edens obierit, atque ad  
 illos, qui eum exauctorabant, dixerit,  
 se indigne tam sacrum habitum gestasse,  
 eoque spoliari esse promeritum: cum  
 vero scalam conscenderet, populum, at-  
 que adstantes, obtestabatur, ut pro ob-  
 tinenda commissi criminis venia Deum  
 exorarent, quem gravissime offendisset,  
 in Pastoris tam sancti, atque pro ani-  
 marum salute adeo proficui vitam infi-  
 dias struendo. Alius ex Præpositis,  
 qui capite truncati fuerant, ingentem  
 Cardinalis charitatem intelligens eidem  
 suam Neptem, quam in summa pauper-  
 tate reliquerat, commendabat: cui mox  
 Sanctus Archiepiscopus significari iussit,  
 se singularem illius curam habiturum,  
 quod promissum, & ipse progressu tem-  
 poris opere complebat.

§. XXXVI.

*Helvetii Pagi a Sancto Carolo lu-  
 strati.*

*Giuss. c. 26*

Peraçto hoc supplicio Sanctus Cardi-  
 nalis rursus suæ Diœcesis valles  
 Helvetiorum imperio obnoxias lustrare  
 aggrediebatur, ut primæ suæ visitatio-  
 nis